NOVAE METHODI MEMBRUM VIRILE AMPUTANDI EXEMPLA DUO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE X. MENSIS JANUARII ANNI
MDCCCLVI.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HUBERTUS ULRICH,
POMMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
LUXEMBOURG, DR. MED.
MUECKE, CAND. MED.
FUNK, STUD. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

Quae adhuc exercitae sunt methodi in pene resecando, amputationes cultro aut ligatura perfectae, quum utraque sua commoda et incommoda praebeat, prout medico operationem suscepturo illa aut haec majora videbantur, nunc laudabantur solaeque adhibebantur, nunc quasi non idoneae repudiabantur. Amputatio ferro a Rust, Ruggieri, Barthelemy, Schreger, Langenbeck multis et variis modis perfecta plerumque id afferebat incommodum, ut sanguinis profluvium saepe haud ita exiguum, quod difficile sisti posset, in operatione aut post eam exoriretur; quod etsi vasis deligatis, frigore aut pulveribus stypticis adhibitis, compressione circum catheterem in urethram inductum applicata, immovero ferro candente minuere medici studebant: tamen periculum hujus amputationis multis tam magnum videbatur, ut cultro prorsus repudiato amputationem penis ligatura, qua jam pridem Ruysch, Heister aliique usi erant, facere mallent eamque meliorem laudarent, velut Graefe, Troschel. Qui amputationis modus etsi sanguinis fluxum prohibebat, tamen ob incommoda haud levia vituperabatur: ex parte praemoriente toti organismo periculum oriri, et hoc amputationis genere magno

et diuturno dolore aegrotos affici, id quod ii quoque, qui hunc methodum laudant, non negant — operatio enim, quum ligatura quinto demum die solvi soleret, per hos ipsos quinque dies continuabatur. Quam ob rem gaudendum est, quod aetate recentissima ligaturam candentem invenimus, quae sine incommodis utriusque methodi commoda praebet. Jam ab Heider celeberrimi physici Steinheil monitu anno XLIV. h. s. ad nervos dentis pulpae exstinguendos commendata *), a Gustav Crusell primo ad resecandum adhibita **), a Middeldorpf autem demum in ipsam praxin operativam introducta ***) methodus galvanocaustica, ut in polypis narium, pharingis, uteri exstirpandis, sic etiam in pene amputando omnia cultri ad omnia ligaturae commoda adjungit; atque si apparatu galvanocaustico utimur, eadem cum celeritate, doloribus non majoribus penem aeque persecamus ac cultro, atque aeque sanguinis profluvium prohibemus ac si ligatura usi essemus. Qua de re Middeldorpf, qui ipse, apparatus utrum tali operationi aptus esset, necne experiri non potuit, in libro citato pag. 131. haecce dicit:

„Operatio, ad quam perficiendam methodus galvano-
„caustica maxime nobis prosit, est amputatio penis et
„clitoridis, quae utraque operatio maximas nobis affert
„molestias sanguinis profluvio.

---

*) Zeitschrift der K. K. Gesellschaft der Aerzte zu Wien. 1ster Jahrgang. Aug. und Sept. Heft 1844.

**) Bulletin de la classe psysico-mathematique. Petersbourg. Bd. VI. No. 134. 1848.

***) Die Galvanokaustik u. s. w. von Dr. A. T. Middeldorpf Breslau 1854.

„Penem amputandum hoc modo aggrediar:

„Catheter elasticus, si fieri potest, per urethram in „vesicam ita, ut nihil in ea sit nisi foramina, inducitur, „et in pene quartam fere partem digiti supra locum, ubi „est amputandus, in integra parte stabilitur acu inse- „ctaria (Insektennadel) tres fere digitos longa, quae trans- „verse per partem spongiosam urethrae et catheterem „infigitur. Acus illa impedit, et quominus penis recedat, „et quominus Catheter loco moveatur.“

„Postquam hoc modo sanguinis suppressioni et urinae „excretioni provisum est, ansa fili platinici quam cras- „sissimi injecta et arcte constricta, partes molles simulque „catheterem, quum candet filum, paulatim persecem. „Arteriae, si sanguis erumpat, galvanocautere tanguntur „aut deligantur. Jam catheter paullulum eminet, quippe „in quo partes molles dimidiam aut unam fere lineam „recedant. Sanguinis profluvii periculum postquam transiit „et vasorum lumina operta sunt, acus aufertur et catheter, „si opus est, alius applicatur. Si in orificio inveniendo „molestias te habiturum esse suspiceris, primum cathetere „in fronte aperto utaris, in ejus os cereolum (Bougie) „ducas, catheterem, quum ille non moveatur, retrahas et „postea cereolo rectore aliud instrumentum inducas, quod „facillime fit eo modo, ut parti extravesicali ad cereolum „stabiliendum linum alligetur.“ *)

---

*) Supra commemorata fili platinici ansa, cujus diametrus est dimidii aut unius fere millimetri, conjuncta est cum separato, quod ausam fert, instrumento (Schlingenträger), cujus per bene ducentes tubos angustos, ipsos unum altero jugo eburneo bene dissociatos (isolirt), platinae filum ducitur. Qui instrumenti tubi

Operationem eo modo quem explicuimus, non omni ex parte semper effici posse, velut si catheter induci aut orificium urethrae cutaneum sub fungosis excrescentiis inveniri non possit, manifestum est. Qua re omissa, methodus galvanocaustica omnino, etiamsi, quum cultri celeritatem cum ligaturae vi haemostatica conjungat, magni aestimanda et ceteris methodis adhuc ad membrum virile amputandum exercitis longe praeferenda est: tamen non magis quam illae prohibet id, quod praeter sanguinis fluxum diligentiam nostram maximam postulat, quominus difficultates in urina reddenda exoriantur; quae continentur iis rebus: quod lenta, operosa, nimis crebra, interdum dolorosa est minctio; quod fieri non potest, ut urina radii forma reddatur; quod ob hanc ipsam rem scrotum urinae stillicidio inquinatur; quod denique ischuria completa exsistit itaque aegroto pericula varia commoventur. Quae molestiae efficiuntur nunc ea re, quod operatione facta penis brevior relinquitur, nunc quod cicatrisatione urethrae

---

cum conis lateralibus cohaerent, qui filis, per quae fluxus electricus (electrischer Strom) ducitur, ad utrumque polum batteriae galvanicae (compositae, ut Middeldorpf vult, elementis a Grove inventis) alligantur. Quomodo platinae ansa in ea sola parte candet, qua non tecta fluxui magis repugnat. In instrumento, quod ausam fert, cylindro versato ligatura paullatim coangustari potest, qua simul ac pars amputanda satis arcte est inclusa, catena electrica clauditur. Filum platinae candescit et cylindro versato aut toto apparatu paullulum moto, totam, quam includit, partem resecat. Sanguinis profusio hac operatione perfecta tanto magis est exigua, quanto crassius est filum platinae, quippe quod es latius cauteriset et sanguinem sistat, quo crassius sit. Disertissime describitur imagine addita instrumentum illud, quo ligatura fertur:

Middelsdorpf l. c. pag. 44.

Vidal's Chirurgie, Deutsch bearbeitet von Bardeleben. Bd. III. Seite 388.

orificium coarctatur. Altera in causa altero modo medici his malis repugnare tentaverunt. Primum, ut quantum posset penis conservaretur, imperaverunt, quo facilius aegrotus urinam mitteret; tum degenerationem carcinomatosam interdum corporibus cavernosis summis circumscribi monuerunt, quae degeneratio nisi altius descenderet, ne penem amputaremus, adhortati sunt. Operatione perfecta tubum argenteum aut catheteris partem in urethram inductam tum demum, postquam vulnus ex toto coiit, removerunt; cereolis applicatis impedire tentaverunt, quominus urethra coangustaretur, quem ad finem etiam hanc ad partem inferiorem dimidium fere digitum inciderunt; — sed tamen omnes hae res molestias supra memoratas saepe tollere non potuerunt. Contra ab Ill. Bardeleben primo et adhuc solo in nostro clinico exercita methodus causas illas memoratas, ex quibus urinae difficultates proficiscuntur, maxime minuit. Qui non, ut adhuc fieri solebat, corpora cavernosa penis eodem loco quo corpus spongiosum urethrae amputat, sed hujus integram partem excidit, quantum fieri potest cute tegit, et parte degenerata abcisa urethrae membranam mucosam cum integumento communi suturis conjungit, ita ut non modo aegroto quam maxima pars urethrae servetur, sed etiam cicatricis contractio, quae adhuc hac in operatione valde timenda erat, id efficiat, ut urethrae orificium non coangustetur, sed potius dilatetur. Quam methodum si cum galvanocaustica conjungimus, omnia pericula molestiasque, quae methodis penis amputandi adhuc exercitis peculiaria erant, tollimus maximeque commendandam et meliorem omnibus adhuc notis habemus. Quum haec methodus in duobus

aegrotis, qui hoc anno in nosocomio nostro versabantur, praeclaram se praebuisset, mihi dissertationis thema quaerenti nihil aptius visum est, quam operationum illarum duarum descriptio, de qua mihi permissa gratias ago quam maximas viro humanissimo ill. Bardeleben.

Historia morbi prima.

Joannes Erk, quadraginta septem annos natus, nunquam usque ad hujus anni initium gravius se aegrotasse dicit. Cujus parentes jam multis ante annis mortui sunt, nec de eorum mortis causa aegrotus quidquam accuratius communicare potest, fratrem autem semper optima floruisse valetudine haud ignorat. Secundo mens. Jan. a. pr. die accidit, ut aegrotus repentina urinae retentione afficeretur, quam sanguinis coagulo in urethra haerente exortam esse dicit. Qua urinae retentione a prima luce usque ad meridiem laborabat, quo tempore coagulum supra commemoratum nullo adminiculo ejectum est. Inde aegrotus praecipue nocturno tempore glandis levi pruritu qui usque ad mensis Febr. finem eum turbare non desiit, vexabatur, quo tempore iterum coagulo in urethra haerente ischuria exorta est, quae per plures dies perdurabat. Quotiescunque deinde urinam reddebat, in urethrae orificio cutaneo linea et tenuis et rubra apparebat, juxta quam urina radii speciem praebens (im Strahl) satis facile ejecta est. Interdiu quidem omnis dolor abfuit,

nisi membrum virile externa vi offenderetur, nocturno tempore autem glandis pruritu, qui in dies crescebat, valde affectus est. Circa mensis Mart. finem glans ita intumescebat, ut aegrotus duobus manibus eam vix amplecteretur, qua re incitatus sua sponte fomenta frigida glandi admovebat; sed doloribus hoc modo non remotis medicum consuluit, qui, ut fomenta tepida chamomillae infuso parata adhiberentur, imperavit. Haud multo post, quum tumor in penis parte dorsali circiter duos digitos ab orificio urethrae recruduisset, multum puris diluti et sanguinolenti fras erupit. Ulcus latius atque altius serpens oras duras, callosas, tumentes habebat, ita ut medicus, aegroto affirmante, circiter dimidium digiti ad superiorem et inferiorem partem sub illas specillo penetrare posset, quibus incisis cataplasmata farina seminum lini parata imposita sunt. Aegroto urinam faciente altera pars ex ulcere, altera pars per urethram secundam naturam profluit; octo diebus interjectis autem ulcus ita sanatum est, ut urina recta via efflueret et tum penitus ad cicatricem perveniret. Brevi tempore post duae aliae ulcerationes exstiterunt, una in prima glande, altera in dorso penis in sinistro latere unum fere et dimidium digitum ab urethrae orificio remota. Per utramque urina defluxit et utraque adhibitis injectionibus lapidis infernalis et unguento hydrargyri rubro diebus octo ita erat restituta, ut jam urinae viam non praeberet. Mense April. praeter ulcus, quod postremum memoravimus, in penis dorso dextro duae pustulae exortae sunt, quas medicus incisione jungebat, ita ut unum modo ulcus fieret. Quum ulcus in dies aggravesceret, aegrotus in clinico chirurgico Gry-

phiswaldensi medicinam petere statuit, ubi a. d. XVII. kal. Jun. anni LV. h. s. receptus est.

Status praesens.

Aegrotus, mediocri statura et satis valido habitu, auxilium a medico petebat, quod pene laborabat. Ac penis quidem in parte antica tumidus, durus, solidus sed elasticus, in superficie mediocriter erat ruber; cujus circuitus maximus, quem in glandis corona habebat, septemdecim erat centrimetrorum, eodem loco diametrus duorum digitorum, et tota pars tumida tres longa digitos.

Tumor posterior sine certo fine in partes integras transibat; glans penis autem tota praeputio erat obtecta, quod neque retrahi, neque corrugari poterat. In parte dorsali tumoris sinistra conspiciebantur, unum et dimidium fere digitum a glande prima remota, duo ulcera rotunda, luxuriantia, rubra e summa cute prominentia, oris tumentibus circumdata, eadem fere magnitudine, qua nummus duobus grossis aestimandus, et post haec cicatrix transversa et concava. Atque etiam, ubi glans praeputio non operiebatur, exulceratio rubra animadvertebatur, quae luxurians, brassicae botryitidi similis et aeque magna erat ac castanea. Orificium urethrae videri non poterat, et urina in latere sinistro inter glandem et praeputium ex compluribus fistulis reddebatur, id quod aegrotum molestiis non afficiebat. In tumore neque pressione, neque sponte dolores oriebantur; pruritu tamen incommodo aegrotus laborabat. Porro in utroque latere glandulae inguinales in magnitudinem ovi colombini intumuerat,

et herniae per canalem inguinalem procidentes in conspectum veniebant, quarum dextra major quam sinistra erat, utraque autem facile reponi poterat. Sinistrae herniae haec erant propria: apertura externa canalis inguinalis adeo patebat, ut digitus facile posset immitti; tussi tumor rotundus et durus, ad magnitudinem fere ovi colombini protrudebatur, qui facillime reduci proterat et tumida glandula pelvis lymphatica habebatur. Quum enim vasa lymphatica urethrae cum glandulis pelvis lymphaticis, glandis autem et corporum cavernosorum vasa lymphatica cum glandulis inguinalibus cohaereant; in hoc casus ubi etiam pars urethrae antica aegrotabat, non erat cur fieri non posset, ut pelvis glandulae lymphaticae aeque tumerent atque inguinales. Alvus justo rarius descendebat; ceterum aegrotus bene se habebat.

Diagnosis.

Jam ex iis, quae usque ad hoc tempus ab aegroto ipso observata erant, natura tumoris cognosci poterat. Durus erat, solidus, elasticus, in superficie exulcerationes exstabant, e quibus sanies tenuis, aquae similis prodibat, glandulae inguinales tumuerant —; prae ceteris autem microscopica disquisitio in particulis aliquot e tumore cultro tonsorio ablatis, instituta demonstrabat: carcinomate epitheliali aegrotum laborare; qnamquam pro doloribus illis lancinantibus, qui a multis medicis semper in fulguris modum carcinoma transfigere dicti sunt, (ut saepissime in carcinomate epitheliali) nihil aderat, nisi perpetuus pruritus. Quantum telarum carcinomate jam degeneratum esset, pro certo statui non potuit.

Aetiologia

sicut semper in degeneratione carcinomatosa, ita hic etiam incerta erat, quum neque hereditate illam insitam esse ex anamnesi demonstrari, neque res ceterae, quae saepissime carcinomatis expositae sunt causae, velut excessus in venere, onania, immunditiae, praecipue angustiore aut longiore praeputio adductae, inveniri possent.

Prognosis

quum in omnibus tumoribus carcinomatosis, tum hoc in casu maxime erat dubia, quod jam propinquae glandulae lymphaticae magnopere intumuerant; paulo igitur post operationem, malum, quo laborabat aegrotus, rediturum esse verisimile erat.

Therapia.

De methodo adhibenda ad aegroti valetudinem restituendam dubitari non poterat. Sola utilis erat operatio ea, qua pars degenerata aut cultro aut apparatu galvanocaustico auferretur; qui apparatus si adhibetur, sanguinis profluvium, saepissime haud exiguum, timendum non est. Qua re die primo a. d. XV. kal. Jun. hoc modo operatio est instituta:

Postquam aegrotus chloroformi ope sopitus est, primum praeputium incisum est, et ut catheter facilius posset applicari, et si fieri posset certus degenerationis carcinomatosae finis inveniretur; neutrum hoc modo prospere

evenit. Quum igitur, quousque penis carcinomate affectus esset, ex signis externis (intumescentia, duritia etc.) concludendum esset, opus erat, ut membrum virile loco radici propinquo amputaretur. Corpus spongiosum urethrae quum magna ex parte integrum esset, consilium captum est, ut quam longissima ejus pars servaretur, qua re aegroto postea difficultates in urina reddenda minuerentur. Catheter elasticus per complura foramina inductus nusquam ultra coronam glandis promoveri poterat. Quam ob rem loco a primo tumore duos fere digitos remoto urethra transverse incisa est, ut catheter applicari posset. Qua incisione arteriae bulbo-urethralis ramus laesus et sanguis profusus galvanocautere suppressus est. Tum in latere sinistro prope urethram, et in dextro unum fere digitum ab illa remotae duae incisiones longitudinales, paribus intervallis inter se distantes factae sunt, quo facto cutis et aequa pars corporis spongiosi urethrae longis scalpelli tractibus a corporibus cavernosis soluta est, deinde horum etiam parvus cutis lobulus scalpello subsectus et rejectus est. Qua in re arteriae dorsales penis persectae ligatura occlusae sunt. Utraque hernia inguinali externa a ministris retenta et lobulis cutis, quibus urethra tegenda erat, urethraeque ipsi, ne ardor iis noceret, linteolis madidis superimpositis, corpora cavernosa penis ansa platinae dimidium fere digitum procul a symphysi ossium pubis cincta persecta sunt, quum batteria galvanica clauderetur ansaque paullatim arctius constringeretur. Etsi lentissime persecabatur penis, tamen e corporibus cavernosis sanguis profluxit, qui iterum galvanocautere sistendus erat. Quo facto vulnus aqua frigida elutum hoc modo

occlusum est: lobuli, qui, ut urethram truncam tegerent, incisione longitudinali formati erant, urethrae circumdati et quinque suturis nodosis conjuncti sunt; deinde urethrae tunica mucosa septem suturis nodosis cum integumento communi conjuncta est. Postremo id quoque vulnus, quod in corpus cavernosum incisum erat, minus redditum est ita, ut ejus angulus dexter unum et dimidium digitum suturis nodosis consueretur, altera autem pars vulneris aeque magna cuti non obtegeretur, quo pus emitti et crusta dejici posset. Quo facto aegrotus lectulo se continere jussus, et vesica glacie impleta monti veneris imposita est.

Disquisitio anatomica tumoris resecti.

Quum natura externa penis et exulcerationes, quae in eo essent, jam in status praesentis descriptione memoratae sint, hic nihil addendum est, nisi omnia ulcera in praeputio solo affuisse. Catheter sicut ante operationem in fronte, ita nunc a parte postica induci non poterat. Ex disquisitione accuratiore tumoris persecti haecce sunt perspecta: praeputium in spatio aliquot digitorum complures lineas erat crassius solito, sed nondum coaluerat glandi. Lamina interna praeputii atque etiam glans in superficie erant rimis interscissae, asperae, sordidae; urethra ad dextrum latus magnopere mota et in corona glandis coangustata, fossa autem navicularis dilatata erat, quae res causa erat, ut catheter applicari non posset. Carcinoma ipsum corona glandis accuratissime finitum erat, et incisum linearum speciem praebebat, ita ut, si car-

cinoma epitheliale in acinosum et papillosum dividimus, carcinoma hujus aegroti papillosum habendum sit. Ceterae tumoris partes post glandem sitae constabant e tela cellulosa alba, hypertrophica, quae integumento communi arcte adhaerebat. Quum microscopio uteremur, videbamus in iis solis particulis, quae glandis et praeputii fuissent, carcinomatis epithelialis propria adesse. Et ex tumoris statu praesente, et ex morbi decursu apparuit, primum degeneratam esse glandem, tum praeputium.

Quae post operationem observata sunt.

Die primo, a. d. XV. kal. Jun. tempore pomeridiano aliquantum sanguinis e vulnere fluxerat; ceteris in rebus aegrotus bene se habebat, nisi quod levem pruritum in urethra conquerebatur. Catheter elasticus facile poterat applicari.

Die secundo. Aegrotus gaudebat, quod tota nocte, praecipue tempore matutino, bene dormiverat; pruritus exiguus in vulnere non cessaverat; catheter facile poterat induci. Lobuli cutis, quorum adhuc gangraena nihil correptum, ne ea afficerentur, secundum speciem timendum non erat. Inflammatio mire erat exigua; scrotum oedematosum tumuerat et tunica dartos contracta in rugas artatum; supra vulnus montis veneris intumescentia haud magna videbatur. Remotae sunt et duae suturae, quibus urethrae tunica mucosa integumento communi alligata erat et suturarum cutis lobulos inter se conjungentium prima, quae sua sponte dissuta erat. Vesica glacie impleta porro etiam adhibebatur.

Tertio die tempore matutino inflammatio non aucta erat; dolor nusquam, ne tum quidem si paululum premebam, aegroto commovebatur. Catheter facile poterat applicari; quum autem aegrotus, cui catheter inductus molestias excitabat, etiam sine eo urinam fecisset, hoc ei in futurum quoque tempus permissum est. Omnes, qui adhuc aderant, suturae non movebantur, quod, si partes inter se nondum conjunctae erant, vulnus hiarret, quae res eo molestior esset, quum hoc loco partes nullo alio modo conjungi possènt. Quomodo nullum incommodum exoriri poterat, nisi quod suturae ipsae cutem persecare et cicatricum parvularum causa fieri poterant. Aegroto potestas optioque facta est, ut eligeret, utrum porro glacie, an fomentis e chamomilla paratis uti vellet; haec ut adhiberentur optavit. Ceteroquin aegrotus bene valebat.

Quarto die mane. Noctu aliquantum sanguinis e vulnere fluxerat; una sutura, quae tunicam mucosam urethrae cum integumento conjunxit, cutem persecuerat et remota est. Parva pars cutis circumsutae gangraena correpta erat; in latere paulum puris ex canalibus ictu acus ortis exibat; trunca corpora cavernosa penis in vulnere clarius videri poterant; vinculo alio imposito fomentis e chamomillae infuso paratis porro uti aegrotus jussus est. Vesperi quum haud gravi statu gastrico aegrotus implicaretur, emeticum (ab ipso exoptatum) praescriptum est.

Quinto die mane statu gastrico sublato aegrotus bene valebat. Omnes, quae adhuc aderant, suturae extractae sunt; prima intensione nihil conjunctum erat nisi vulnus medium corporibus cavernosis ictum, quo loco

minime exspectari hoc potuerat. Ceterum vulneris margines nusquam valde hiabant; linteum carptum vulneri impositum unguento basilico obtegitur.

Sexto die matutino tempore. Pus malam conditionem accipiebat; quum margines vulneris, quod truncis corporibus cavernosis respondebat, latius distarent, vulnus aqua calida elutum unguento simplici obtectum est; praeterea aegroto, ut ambulare posset, suspensorium ex tempore factum dabatur. Vesperi iterum haud gravi statu gastrico laborabat.

Septimo die vesperi aliquantum sanguinis e vulnere effluebat, fortasse eam ob rem, quod ligaturae, qua arteria dorsalis penis occlusa erat, filum dissutum erat; ut sanguinis fluxus sisteretur, et aqua frigida et acetum applicabantur.

Octavo die mane rursus sanguis e corporibus cavernosis procedebat, qui ab aegroto facile fomentis frigidis supprimebatur; paulo post autem iterum profusus instillatis aliquot guttis liquoris ferri chlorat. (pharmacop. franco gallic.) inhibendus erat.

Proximo tempore vulneris species vix alia facta est; crusta ligatura candente effecta nondum solvebatur; aegroti facies in dies pallidior ejusque habltus magis cachecticus fiebat. Nonnullis post diebus, quum crusta illa dejecta esset, vulnus adspectu erat melius.

Prid. kal. Jun. mane iterum exiguus sanguiuis fluxus exortus est.

Postr. kal. Jun. hora nona aegrotus mediocri frigore tentabatur, quod per dimidiam horam continuabatur et sudore finiebatur. Ea febris intermittentis accessio

habebatur, quum primum bonas granulationes vulnus praeberet paulumque puris secerneret, deinde quum diebus superioribus gastricae observatae essent perturbationes; denique quum aegrotus tempore intercedente optime se haberet, quod in pyaemia fieri non solet. Quum igitur chininum sulfuricum ei datum esset, frigoris accessio non rediit. Aegrotus melior fiebat non modo adspectu, sed etiam ommibus ceteris rationibus; omnia vulnera ex toto ad cicatricem perveniebant, praeter id quod truncis corporibus cavernosis penis respondebat, quod et ipsum maxima ex parte cicatrice mexcipiebat et bono adspectu erat. Scroti oedemate finito trunca urethra prominebat, ita ut aegrotus urinam in radii formam reddere posset neque hac in re se spurcaret.

A. d. X. kal. Quinct. Joh. Erk sanatus, (quatenus de carcinomate sanato dici potest) e clinico dimissus est.

E casu, quem descripsimus, consequitur, quam utilis apparatus galvanocausticus sit omnibus iis operationibus, in quibus sanguinis profluvium magnum, quod ligatura non facile sisti possit, timeamus, quibus operationibus profecto penis amputatio accensenda est; porro homines, quorum penis amputandus, maxime optant, ut quam maxima urethra trunca servetur, ne quotiescunque urinam faciant, scrotum inquinent et ne orificium urethrae, quod majoris est momenti, coangustetur; tubis autem artificiosis nunquam idem effici potest, quod natura.

Historia morbi altera.

Joannes Passow, textor, sexaginta septem annos natus, usque ad annum vigesimum quartum semper bona valetudine se usum esse dicit. Hoc tempore typho correptus, quamquam post sex fere hebdomades ad sanitatem perductus, tamen valetudinem, qua antea fructus erat, et vires suas nunquam recepit, sed potius semper quidem minus valuit, non autem lectulo affixus est. Linguae haesitantiam quoque tum demum, quum typho laboraret, exortam, postea se haemorrhoidibus et varicibus in utroque crure vexatum esse affirmat. Ex uxore in puerperio mortua duos genuit liberos, qui nunc etiam viventes bene se habent. Parentes jam pridem morbis ei ignotis mortui sunt; germani, qui nunc vivunt, firma sunt valetudine. Quatuor fere ante annos fortuito in praeputio pustulam parvam, ciceris fere magnitudine, animadvertit, quae qua causa externa exorta sit, ignorat.

Quum illa neque doloribus neque aliis molestiis eum afficeret, non multum eam respexit; quum autem ex ea exoriretur excrescentia papillosa, quae in dies augeretur, variis medicamentis usui domestico destinatis, incantatione etc. levare eam tentavit; postremo autem, quod illa medicamenta omnia nihil proderant, medicum adiit, qui eum locum correptum unguentis illinere et cataplasmatibus fovere jussit. Quibus per longum tempus usus non modo

non sanatus est, sed etiam ad excrescentiam, quae jam aderat, aliae additae sunt, quae ex nodulis duris, non dolorosis, lenticularibus formis in praeputio ortae, paullatim auctae paulo post totam operiebant glandem. Quomodo quum etiam urethra obtegeretur, minctione molesta facta aegrotus urinam, vel premens, reddere non potuit nisi in tenuis et torti radii forma; atque simul in urethra ardor et dolores exorti sunt, saepiusque ex ea pus crassum et flavum exiit. Tum tumor non modo si premebatur, sed etiam sua sponte dolores excitavit, qui intermittentes praecipue noctu in fulguris modum penem lancinabant. Pars penis, quae post glandem est, atque etiam glandulae inguinales tumuerant, simulque aegrotus vires deficere quum sentiret, quatuor annis postquam pustalam illam supra memoratam in praeputio animadvertit, rursus medicum consuluit, qui tumorem penis esse carcinoma medullare, atque tolli non posse nisi operatione dixit. Quam ob rem aegrotus Gryphiam se contulit, et a. d. VII. kal. Nov. LV. h. s. in clinicum receptus est.

Status qui tunc erat.

Aegrotus est magna statura, facie pallida, habitu cachectico. In ano varices inveniuntur atque etiam in utroque crure; pars antica penis usque ad coronam glandis duos et dimidium digitos longa et ubi crassissima diametri paene duorum digitorum excrescentiis fungosis, brassicae botryitidi similibus ita est obtecta, ut neque praeputium neque glans discerni possit. Quae excrecentiae, si

tanguntur, facile cruentatae, partim rubrae, inaequales, villosae, papillosae madent et digito mediocriter resistunt, partim leves, siccae, durae sunt, partim opertae crustis pullis saniei siccatae. Fissurae rimaeque altae, quibusdam locis impletae pure diluto et sanioso excrescentias aliam ab alia secernunt, praecipue in summo tumore, qui totus digitum impressum haud magnopere sentit; in tumoris infimi una rima accurate disquirentes invenimus orificium urethrae, ex quo pus tenue, albiceratum exprimi potest; catheter applicari non poterat, sed non longius quam aliquot lineas procedebat; urinam aegrotus faciebat maxima cum molestia in tenuis et diffissi radii forma. Post glandem penis tertia pars antica satis tumida, cutis ejus in dorso praecipue rubicunda est; quum autem penis in collo glandis praeputio in rugas artato velut in paraphimosi stranguletur, pro certo dici non potest, utrum ejus intumescentia ex hoc mechanico circuli sanguinis impedimento, an ex stimulo inflammatorio, cujus causa est neoplasma, an ex hoc neoplasmate ipso oriatur; infiltratio carcinomatosa probari videtur hac re, quod in corporum cavernosorum dorsi sinistro latere ulcus conspicitur aeque magnum ac cicer, rubore cinctum, cujus basis lurida et inaequalis, ora laevis et callosa est. Glandulae inguinales magnopere tumuerunt, ita ut minimae sint magnitudine nucis avellanae, maximae ovi columbini; non dolorosae si premuntur, durae sunt, integumento communi autem, quod solitam prae se fert speciem, non coaluerunt.

Quod jam et ducursus, quem descripsimus, et status praesens tumoris, et glandularum inguinalium intumescen-

tia probare videbantur, aegroti tumorem esse carcinomatosum, id particulae nonnullae ex tumore ablatae et microscopio disquisitae certum faciebant, quum hoc modo quae carcinomati epitheliali propria sunt, cellulas epitheliales magnas multangulasque, partim in alveolis accumulatas, et nucleos plurimos adesse demonstraretur. Sed unde malum illud exortum esset, detegi non potuit, nisi, ut complures veteres et recentiores autores, credere volumus, carcinoma epitheliale hominibus natu majoribus exoriri, si, quum eorum penis paullatim corrugetur, praeputium projectum facilius urina humectetur, aut smegmate in glande magis secreto non satis munditiae studeant. Quod ad therapiam attinet, pars degenerata removenda erat, quum neque acidum silicicum aetate recentissima a Schuh commendatum*), neque praeparata Jodi a Boinet laudata, neque alia ab aliis prolata medicamenta usque ad hoc tempus tantum effecerint, ut adduci possemus, illa operationi praeferre, si aegrotus et rationes eam permittant. Qua aegrotus plane quidem sanari non potest, quum pro degenerationis carcinomatosae causa habendus sit status morbosus sanguinis, et hic ferro tolli non possit, sed operatio ubique vitam prolongat, praecipue in hac carcinomatis specie, quae saepius per complures annos non redeat.

---

*) Schuh „Pathologie und Therapie der Pseudoplasmen." Wien 1854.

Actus operationis,

quae a. d. III. kal. Nov. instituta est, hi erant. Apparatu galvanocaustico instructo, et allatis, quae in usum vocanda videbantur, instrumentis rebusque ceteris ad operationem necessariis aegrotus chloroformi ope narcotisatus est, primumque catheterem in urethram ducere tentabamus, quod vel vi adhibita prospere non eveniebat. Quam ob rem pilis abrasis quum penis pars carcinomatosa forcipe a Muzeux invento sursum intenderetur, juxta glandem corpus spongiosum atque urethra ipsa incidebatur, quo facto catheter applicabatur. Quamquam satis multum sanguinis profluebat, incisio in cute sola prolongabatur, et deinde in dextro latere digitum fere unum longe urethrae, in sinistro prope urethram duae unum digitum longae, longitudinales incisiones fiebant, quae inter se pari intervallo distabant. Quomodo circumscripti lobuli et aequa pars corporis cavernosi urethrae longis tractibus scalpelli a corporibus cavernosis penis solvebantur, atque etiam incisionibus illis longitudinalibus transversa incisione conjunctis parvus cutis lobulus a subjectis stratis sublevatus rejiciebatur; qua in re arteria dorsalis penis quum laederetur, volsella compressa tenebatur. Quo facto lobulis cutis, ne ardore afficerentur, linteis madidis circumdatis, platinae ansa corporibus cavernosis penis circumducta in ansiferum (Schlingenträger) infigebatur, et batteria galvanica claudebatur; ansa candescebat, et quum cylindro versato paullatim constringeretur, corpora cavernosa persecabantur; ne gutta quidem sanguinis exibat,

corpora cavernosa cornea et fulva crusta erant obtecta. Vulnus coagulis remotis occludebatur hoc modo: lobuli incisionibus longitudinalibus exorti, urethrae circumjecti tribus suturís nodosis consuebantur, tum tunica mucosa urethrae cum integumento communi quinque suturis nodosis conjungebatur; lobulus ad corporum cavernosorum vulnus obtegendum destinatus tribus hamulis duplicibus, qui „serres fines" vocantur, stabiliebatur, et trunco peni linteum oleo olivarum satiatum imponebatur. Quo facto aegrotus, qui adeo fuerat narcotisatus, ut nihil sentiret, in lecto positus est.

Quod attinet ad disquisitionem anatomicam tumoris resecti, id solum est addendum, degenerationem praeputii ut papillosum tegumentum in glandem ipsam transire. Inferioris praeputii partis lamina interna et ipsa indumento papilloso fusco est operta; orificium cutaneum urethrae non est velatum. Cutis, quae est post glandem, in degenerationis carcinomatosae fine ipso durior et solidior est digito impresso, stratumque ejus cellulosum, praecipue fibrillae elasticae, hypertrophicum; incisiones omnes in integrís et sanis partibus factae sunt.

Quae post operationem observata sunt in aegroto.

A. d. III. Kal. Nov. tempore pomeridiano aegrotus capitis doloribus et vertigine se laborare conqueritur, qui ex chloroformio exorti esse videntur; aliis doloribus non vexatur. Sexta fere hora urinam premere sentit, et minctio molestias quidem non excitat nisi dolores paullum

urentes, sed etiam sanguinis paullisper auget profusionem, quae (exigua certe) in premendo erat exorta; qua frigore adhibito suppressa vesperi fere septima hora „serres fines", quae dicuntur, auferuntur.

Secundo die nisi exiguo ardore non commovetur aegrotus dolore, ne in minctione quidem, qua aliquantum sanguinis projicitur. Vesperi urinam reddit sine sanguine profuso. — Coenaesthesis est bona.

Tertio die nocte quiete peracta aegroto mane tussiendum est, unde dolores vulneris excitantur, quam ob rem opii puri gr. β, stib. sulf. aurant. gr. j praescripta sunt. Minctio difficilis non est, neque sangninis profluvium efficit; margines lobuli, qui trunca corpora cavernosa penis operit, gangraena affici videntur, quod magni non est momenti, quum in hac regione crustis ligatura candente creatis aliqua ex parte via patere debeat.

Quarto die major videtur locus gangraenosus, praecipue vesperi, ubi totus, quem supra memoravimus lobulus, colore est livido; parva etiam pars cutis tunica urethrae mucosa circumsutae gangraena correpta est; duae suturae lobulorum urethrae circumdatorum extrahuntur; fomenta aquae plumbi adhibentur. Aegroto ad tussim, quae dolores pungentes facit et noctu quominus dormire possit impedit, levandam rursus opium et sulfur auratum datur.

A. d. III. Non. Nov. suturae omnes nondum solutae removentur; margines vulneris non sunt conjunctae prima intentione, sed hiant aliquantum; fomenta ex infuso chamomillae parata adhibere aegrotus jubetur: minctio non

difficilis neque dolorosa est; ceteroquin aegrotus optime se habet.

Non. Nov. Crusta ligatura candente effecta quum soluta sit, diducitur; vulnus aspectu bonum linteo carpto, cui unguentum basilicum est illitum, operitur. Urinam facit aegrotus sine dolore ac sine molestiis.

Quid tamen multa de his rebus dicam.

A. d. IX. kal. Dec. aegrotus ita valebat, ut, quum precibus paene defatigaret nos, dimitteretur, quamquam vulnera nondum ex toto duxerant cicatrices, quippe quum superior urethrae pars, ubi lobuli eam tecturi pars gangraena erat deleta, nondum obtecta esset. Urethrae orificium non erat coangustatum, candela diametri trium linearum facile induci poterat, quam ob rem urina radii satis crassi forma redditur.

Glandularum inguinalium intumescentia, quae prius haud ita exigua, doloribus aegrotum non afficiebat, nunc maxime est minuta. Eodem modo etiam feminae, cui mamma carcinomatosa in clinico nostro amputata est, glandulae lymphaticae supraclaviculares, quae ante operationem ad ovi columbini magnitudinem tumuerant, hebdomadibus quatuor post illam paene sentiri non potuerunt digito; qui uterque casus sententiam a Schuh prolatam probat, glandulas lymphaticas vicinas in carcinomate saepius intumescere infiltratione non carcinomatosa.

VITA.

Ego, C. A. H. Ulrich, fidei evangelicae addictus, natus sum a. d. XVI. kal. Nov. anni h. s. XXXII patre Carolo, matre Friederica, e gente Gombert, quos parentes adhuc vivos summa cum pietate veneror.

Primis litterarum elementis instructus gymnasium adii Stargardense, quod tunc sub auspiciis directoris Falbe florebat. Auctumnali tempore h. s. L a prof. Freese, gymnasii directore, cum testimonio maturitatis dimissus, Halas me contuli ibique ab ill. Eiselen, t. t. prorectore magnifico, in numerum civium academicorum receptus, et apud ill. Gerlach, t. t. decanum ordinis philosophorum, nec non apud ill. Goeschen, t. t. decanum facultatis jurisconsultorum, nomen sum professus. Per duo semestria hisce interfui scholis:

Ill. Erdmann: de logice et metaphysice, de studio academico.

Cel. Prutz: de historia litterarum recentiore.

Ill. Volkmann: de physiologia generali.

Ill. Henke: de encyclopaedia et methodologia juris.

Ill. Witte: de historia juris romani, de institutionibus juris romani, de jure civili romano.

Ill. Bruns: de pandectis.

Tum vero mutato consilio tempore auctumnali h. s. LI ibidem a beat. d'Alton, t. t. decano, in gratiosi medicorum ordinis album relatus sum et per tria semestria audivi disserentes:

Cel. Schaller: de psychologia.

Ill. Schweigger: de physice.

Beat. Germar: de mineralogia.

Ill. de Schlechtendal: de botanice.

Ill. Burmeister: de zoologia, de mastozoologia.

Beat. Steinberg: de chemia organica et anorganica, de aëre et aqua, de toxicis metallicis.

Exp. Cornelius: de physice.

Exp. Meckel ab Hemsbach: de medicinae encyclopaedia et methodologia.

Beat d'Alton: de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Volkmann: de physiologia, de anatomia comparata.

Ill. Krahmer: de pharmacologia.

Deinde paschali tempore anni h. s. LIII, valetudine adversa coactus, domum me contuli ibique per unum semestre versatus almam Gryphiam petii, ubi a beat. Berndt, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, ab ill. Bardeleben, t. t. decano maxime spectabili, in medicinae studiosorum numerum receptus per quatuor semestria hasce audivi lectiones:

Ill Muenter: de plantis officinalibus esculentisque.

Ill. Hünefeld: de chemia organica et analytica, de exercitationibus chemicis.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum praescribendi, de morbis ex aëre palustri nascentibus.

Ill Haeser: de pathologia et therapia generali, de historia medicinae et morborum epidemicorum; idem dux mihi exstitit in clinico medico.

Beat. Berndt: de pathologia et therapia speciali; eundem in clinico medico ducem habui.

Exp. Haeckermann: de morbis pectoris una cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione, de medicina forensi, de politia medica.

Cel. Laurer: de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Pohl: de morbis syphiliticis, de tumoribus.

Cel. Eichstedt: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis; idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Schultze: de anatomia pathologica, de exercitationibus anatomico-practicis.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali nec non speciali, de akiurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de ophthalmiatrice. Eundem etiam ducem habui in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis, nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus omnibus viris illustrissimis, optime de me meritis gratiam quam maximam habeo semperque habebo.

THESES.

I.

Capitis vulnera non sunt suenda.

II.

Carcinoma cultro sanari non potest.

III.

In pneumonia curanda digitalis efficacissima mihi videtur.

IV.

Optimum medicamentum est cibus opportune datus.